



ANdreas natus est Bruxellis Anno millesimo quingentesimo decimo quarto. Is cum foelici ingenio esset praeditus, operam literis dedit, & prima artium fundamenta in patria foeliciter iecit. Inde sese in Italiam studiorum altricem contulit, & magna diligentia Medicinae incubuit. In primis uero Anatomica elegit, atque omnis generis animalia dissecando singulas corporis partes diligentissime rimatus est. Postea quoque ad homines peruenit, & iudicio damnatos dissecuit, ut partium facultates cognoscere, & morborum causas inquirere posset. Itaque factum ut longo usu edoctus, in ea professione parem nusquam haberet. Cum hoc modo An-

dreas per multos annos in Italia uixisset, & Doctoris insignia comparasset, in Germaniam redijt, & aliquandiu Basileae uixit. Scripsit tum Paraphrasim in nonum librum Razis ad Almanforem, De affectuum singularum corporis partium curatione. Item Epistolam, qua docet uenam axillarem dextri cubiti in dolore laterali secandam. Scripsit praeterea De humani corporis fabrica lib. 7. cum elegantissimis omnium figuris. deinde etiam ratione docuit propinandi radicis chynae decocti, cum multis alijs huiusmodi, quibus ingenij sui uim posteris significauit.